



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Divi Avrelii Avgvstini Hippon. Episcopi Meditationes, Soliloquia et Manuale**

**Augustinus, Aurelius**

**Coloniae Agrippinae, 1649**

Qualiter nos Deus dilexit, 3

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54885](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54885)

corde, voce, & opere exercendo. Adinvet igitur me (clementissime Domine Iesu Christe) amor tuus, remittendo quæ inique egi: & inflammet ad amorem tuum dulcissimum: ut te timendo & efficaciter diligendo, tibi placita agam fœliciter, & adimpleam; iniqua autem toto corde & opere respuam: ut ad regnum perpetuo te amantium perveniam sempiternum, Amen.

## CAPVT III.

*Qualiter nos Deus dilexit.*

1. **D**ilexisti & amasti nos dulciter, (benignissime Domine Iesu Christe, fons veri amoris) dum carnem nostram mortalem humiliter induisti sola dilectione & amore inductus. Dilexisti nos sapienter, ô amantium vita Domine Iesu Christe; quia carnem nostram mortalem induendo, omni peccato caruisti. Dilexisti nos fortiter, quia mortem turpissimam & crudelissimam pro nobis miseris voluntarie sustinuisti. Et licet nos in carne visitaveris, non tamen carnaliter amasti, sed in prudentia spiritus. Itaque quos in carne quærivisti, dilexisti in spiritu, & redemisti in virtute. In carnis autem assumptione accommodasti te nobis, in culpæ vitiatione consuluisti tibi, & in mortis susceptione satisfecisti Deo Patri: Et sic Domine Iesu Christi, vita nostra, amicus dulcis, consiliarius prudens, & adiutor fortis fuisti. Et nisi amasses nos dulciter, non requisisses in carcere. Sed adjunxisti affectioni & dilectioni sapientiam, qua tyrannum de-

cepisti:

repisti : Adjunxisti etiam patientiam , qua  
offensum Deum Patrem placasti. Et sicut  
ad operandum salutem in medio terræ , ex  
nimia dilectione semel venisti in carne visi-  
bilis : ita quotidie propter maximam dile-  
ctionem , quam habes ad animas nostras , ve-  
nis invisibilis ad salvandas eas , mentes no-  
stras tua potentia invisibili illustrando.

2. O clementissime Domine Iesu Chri-  
ste , indeficiens amor : si tuam infinitam di-  
lectionem considerarem , non oporteret me  
transfretare maria , penetrare nubes , montes  
transire , quia non grandis mihi restat via ad  
te amandum : solum enim opus est ut cur-  
ram ad me ipsum : scilicet , ad compunctio-  
nem & confessionem : ut sic exeam de ster-  
quilinio miserrimæ conscientiæ , ut illuc  
intrare valeam per gratiam & amorem. O  
misericordissime Domine Iesu Christe , ego  
iniquissimus peccator dignus sum & di-  
gnum me sentio odio , non amore tuo ;  
pœna , non gloria. Quia licet cognoverim  
ex tua immensa pietate tuam exuberan-  
tem dilectionem & amorem dulcissimum ;  
tamen his oblivioni quodammodo tradi-  
tis , gratias tibi non rependi , nec meipsum  
disposui , ut tuam dilectionem in me am-  
pliori gratia augeres. Sed tempus ad iracun-  
diam & vindictam provocavi ob miserabi-  
lem vitam meam , quam diversis vitiis &  
peccatis contaminavi. Succurre mihi Do-  
mine Iesu , per tuum sanctum amorem : &  
sic me misericorditer dispone , ut amor tuus  
dulcissimus reformetur in me , per quem

hic vivendo in gratia tua , in fine amore tuo  
perfruar sempiterno, Amen.

C A P V T I V.

*Qualis est amor Dei.*

I. **O** Amor præceps, amor flagrans, amor  
vehemens, amor te intra te cohibere  
non valens : qui præter te aliud cogitare non  
finis ; fastidis cætera, contemnis omnia præ-  
ter te. Dulciter capis , strenue stringis , sa-  
pienter erudis, gloriose illaqueas, oneras de-  
lectabiliter , foeliciter uris , in dicto expecta-  
ris. Nec consilio temperaris , nec pudore re-  
frenaris, neque rationi subjiceris. Affectu es  
desiderabilis , experientia dulcis , jucundi-  
tate plenus , fruitione æternus , satians &  
reficiens, nunquam fastidium generans. Ni-  
hil (Domine Iesu Christe , fons veri amoris)  
amore tuo suavius , nihil dulcius , nihil uti-  
lius, nihil jucundius. Amor tuus , Domine,  
non molestat, sed cum exultatione & gaudio  
stringitur , & cum securitate desideratur.  
Vbi tuus amor est , Domine , labor non est,  
sed sapor. Seipso contentus est ; confundit  
ordines , dissimulat risum , ignorat modum ;  
totumque quod opportunitatis , quod ratio-  
nis, quod pudoris, & quod consilii judicive  
esse videtur , triumphat in seipso , & redigit  
in captivitatem .

2. Amor tuus Domine libertatem donat,  
timorem pellit , laborem non sentit ; meri-  
tum non respicit , præmium non requirit ;  
fessos alleviat , debiles roborat, mœstos lati-  
ficat , esurientes reficit, & deficientes jucun-  
dos